



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. IV. An Christus fuerit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

ria, qualis convenit alijs Sacerdotibus. Itaque sicut Christus ratione unionis hypostaticæ redditur Substantialiter dignus qui sit caput Ecclesiæ, & populi Deo specialiter grati, ita etiam per eandem unionem habet substantialem potestatem offerendi sacrificium: quæ potestas manet æternum, licet actus ipsius non sit semper exercendus, quia cessat finis illius. Hæc est reipsa interpretatio Vasquezij, qui eam confirmat ex Cyrillo lib. posteriori de recta fide ad Reginas, ubi declarat differentiam inter Aaron & Christum his verbis. [Assumitur quidem sicut & Aaron, sed non æquali modo; nam ille inungitur ad ministerium, & erat servus: at ille tanquam Filius vocatus secundum ordinem Melchisedech ministrat Patri. Ministerij autem modum divinus Paulus sic enarrat scribens de Christo ad Hebr. 7. *Qui non secundum legem carnalis mandati factus est, sed secundum virtutem indissolubilis vite.*] Idem tradit Elias Cretenensis. [Christus, inquit, vocatus est propterea, quod Humanitatem Deitati junxerit, atque etiam ut Rex & Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Denique clarissimis verbis S. Damascenus, quæ brevitas grati non refert, sed videri possunt apud eundem auctorem.

392. Caterum negare non possum, secundæ Interpretationi plurimum favere Concilium Tridentinum sess. 22. c. 1. cujus hæc verba sunt. [Quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cæna novissima, quâ nocte tradebatur, ut dilectæ Sponsæ suæ visibilem relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud representaretur, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, Successoribus, ut offerrent, præcepit.] Neque mihi satisfaciunt Responsiones P. Vasquez. Illud autem quod secundæ huic interpretationi diximus objici posse, facile solvitur. Nempe ex eo quod Christus maneat in æternum, rectè intulit S. Paulus, Christum habere sempiternum, hoc est, indefinitum Sacerdotium, durans tamdiu, quamdiu opus & locus erit Sacrificio, quod nulli alteri Sacerdoti applicari potest.

CONTROVERSIA IV.

An Christus fuerit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

Christum non fuisse Sacerdotem Leviticum seu ex Tribu Levi, ex qua sola constituebantur Sacerdotes in antiqua lege, constat ex S. Paulo ad Hebr. 7. In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præsto est; manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est. Porro Christus Dominus ps. 109. dicitur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ut exponit S. Paulus ad Hebr. 5. & 7. Supponendum autem

est, Melchisedech fuisse verum Sacerdotem, ut habet certa sententia, tametsi non fuerit ceremonijs Moisaicis in Sacerdotem electus, qualiter scilicet Sacerdotium ab Aarone initium sumpsit. Sed quia Rex erat, poterat hac auctoritate tanquam publicâ seipsum Sacerdotem constituere.

393. Quæstio autem est, in quonam fuerit potissimum Sacerdotium Christi assimilatum Sacerdotio Melchisedech. Et imprimis fuit assimilatum in eo, quod sicut Melchisedech fuit Sacerdos sine Patre, sine Matre, & sine Genealogia, hoc est, sicut ipse nec ab alijs hæreditariâ successione Sacerdotium accepit, nec hæreditariâ successione illud posteris reliquit, ita nec Christus. Nam moderni Sacerdotes non sunt successores Christi in officio, sed tantum in exercitio: in Officio autem sunt Vicarij illius. Deinde assimilabatur in eo, quod sicut Sacerdotium Melchisedech fuit præstantius Aaronico & Levitico, ita & Sacerdotium Christi. Verum cum hæreticis lis est, an Sacerdotium Christi fuerit etiam assimilatum Sacerdotio Melchisedech in re oblata, hoc est, in oblatione Panis & Vini, quod hæretici negant.

Sancti Patres, quos Catholici DD. sequuntur, unanimi consensu affirmant, idque colligunt satis clarè ex Gen. 14. At verò Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei. Ex quibus verbis colligitur intentum multipliciter. Primò, quia pro causali, quare produxerit panem & vinum, ponitur: quod fuerit Sacerdos altissimi. Secundò, quia non est credibile, quod panem & vinum obtulerit Abrahamo, præcisè ut cum suis militibus reficeretur, cum jam fuerint antè refecti. Abraham enim nihil voluit accipere in compensationem præstiti obsequij, exceptis cibarijs quæ jam comederant ejus milites. Tertio. Quia si Melchisedech non nisi ad refectionem voluisset offerre panem & vinum, profectò non propriâ manu obtulisset, cum hoc Regem non deceret, sed obtulisset per suos famulos. Scriptura autem satis clarè indicat, obtulisse proprijs manibus. Quartò, quia dum dicitur panem & vinum benedixisse, videtur significari, quod consecraverit in sacrificium, præsertim cum nusquam alibi fiat Mentio alterius sacrificij ab ipso oblato.

394. Quares: Cur ergo Paulus comparans Sacerdotium Christi cum Sacerdotio Melchisedech, nullam fecit mentionem hujus similitudinis in offerendo panem & vino? R. 1. quia ibi volebat solum ostendere excellentiam Christi supra Sacerdotium Leviticum, per comparisonem cum Melchisedech quoad ea, quibus Melchisedech excelebat: inter hæc autem non erat oblatio panis & vini. R. 2. Imò S. Paulus non obscure insinuaverat prius cap. 5. se aliqua prætermisurum in explicatione Sacerdotij Christi, dum dicit: de quo grandis nobis est sermo, & ininterpretabilis ad dicendum. In quæ verba S. Hieronymus sic commentatur. Non quia Apostolus non potuerit illud interpretari, sed quia illius tempo-

ris non fuerit: Hebræis enim, id est Judæis persuadebat, non jam fidelibus quibus passim proderet Sacramentum. Itaque Apostolus noluit illis tunc aperire altissimum hoc Mysterium Altaris, quia ad eorum conversionem nec expediebat, nec erat necessarium: unde eodem cap. 5. dixerat, *Et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.*

Obijciunt hæretici. Oblatio panis & vini non fuit specialis & propria Sacerdotij Melchisedech, quia etiam Levitici Sacerdotes leguntur panem & vinum obtulisse: ergo Sacerdotium Christi non rectè per hoc assimilatur specialiter Sacerdotio Melchisedech. R. Levitici Sacerdotes obtulerunt quidem panem in sacrificio, sed sine vino; vinum etiam offerebant, sed sine pane, & tanquam condimentum hostiæ cruentæ quam tunc maciârunt, & ideo eorum oblatio non fuit figura Sacrificij Christi, sicut erat oblatio Melchisedech.

CONTROVERSIA V.

Quale Ius & Dominium habuerit Christus Dominus.

Non est quæstio de Dominio Jurisdictionis Spiritualis, vi cuius tulit Leges in ordine ad finem supernaturalem, v. g. circa Vsum Sacramentorum. Hujus Vsum Vicarium habet summum Pontificem. Quæstio igitur est de Dominio Temporalis & Regimine Politico.

395. Dicendum est 1. contra Marsilium Patavinum, & Joannem de Janduno, quorum sententiam damnavit Jo. 22. Christum non fuisse subditum seu subjectum Regibus & Principibus

terrenis. Probat. Nam Matth. 17. ipse Christus affirmat Petro, se liberum esse à tributo, quod tamen solvere voluit ad cavendum scandalum.

Dicendum 2. Quando Christus in Scriptis S. dicitur Rex Judæorum, Rex Israël &c. non intelligendus de Regno temporali, quia illi jure successionis accepisset, ut volebat Ammonius, sed de Regno Spiritualis. Probat. Quia successio Regum ex stirpe David finem accipit in Jechonia. Deinde Christus non descendit ex David per Salomonem, sed per Nathan, per quem ex familia David descendit Beatissima Virgo

396. Dicendum 3. Esti admodum probabilis sit plurium DD. opinio, Christum in Vniuersitate hypostaticam, sicut fuit exemptus ab omni potestate humana, ita in actu primo vere habuisse potestatem Regiam in totum orbem, & in omnes Reges ejus, etiam quoad vitam politicam gubernandi, nihilominus Christum hac potestate nunquam vti voluisse, dicente ipsomet, Regnum meum non est de hoc mundo.

Dicendum 4. Christum non habuisse Dominium proprietatis in omnes Res creatas, quas vis habuerit in aliquas, prout definitum est a duabus Extravagantibus Joannis XXI. extra Extrav. Inter nonnullos, & extr. Quia quæritur. Probat. Quia alioquin dicendum esset, quod alij omnes homines tantum precario possiderent res suas, & per ignorantiam existimarent, rerum Dominos esse, quod sanè per abusus, & que fundamento diceretur.

Neque obstat Arefactio Ficulnæ, missio demonum in porcos: hæc enim fecit ex ipsius voluntate Dei, sicut etiam de alijs Sanctis hujusmodi simillima miracula pro salute animarum perpetrata.

CAPVT XI.

DE SERVITUTE, ET FILIATIONE.

CONTROVERSIA I.

An Christus secundum Humanitatem sit & dici possit Servus Dei.

Controversiæ huic anam dedit Epistola Adriani Papæ ad Episcopos Hispaniæ, & Synodus Francofurtiensis contra Eligandum Archiepiscopum Toletanum, & Felicem Episcopum Vrgelitanum: hi enim contendebant, Christum verè & propriè esse servum Dei: hos acerrimè reprehendunt Patres adducti Concilij, & ut hæreticos increpant, voluntque, non nisi allegoricè & per tropum ita vocari posse.

Cæterum, inter Catholicos nulla est quæstio ipsam dissensio: fatentur enim omnes contra Nestorium, Christum esse vnam Personam Deum & Hominem, verè & realiter habentem duas Naturas eadem hypostasi subsistentes. Instat igitur tota quæstio de nomine servi. Si enim significatum hujus nominis intrinsecè & effectualiter includit negationem æqualitatis in Dignitate & Throno, clarum est, Christum hoc sensu non esse servum. Si verò significatum servi plus non imponatur.